

7+8/82

KALENDIS AVGVSTIS

MCMLXXXII



RVMOR VARIVS



TOMUS 5

FASC. 36



# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE  
LATINA TVRICENSI in aedi-  
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in  
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:  
(annuum)

In Helvetia	Fr. 12.--
In Germania	DM 16.--
In Austria	ÖS 120.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 18.--
In terris trans	
maria sitis	U\$ 12.--

Singula specimina qui  
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulricus Aeschlimann  
Martinus Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Impressum et dispositionem rerum  
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda  
sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der  
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS  
unter dem Patronat der AKAD  
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis:  
(jährlich)

Schweiz	Fr. 12.--
Deutschland	DM 16.--
Oesterreich	ÖS 120.--
übriges Europa	Fr. 18.--
Uebersee	U\$ 12.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulricus Aeschlimann  
Martin Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

# PRÆFATIO

Cari legentes

Superiore libello nonnulla de laude feriarum in Italia degen-  
darum scripsi. Nunc feriae aestivae, quas ego una cum uxore  
liberisque profecto in Italia egimus, iam sunt dies paeteri-  
ti memoriaeque traditi. Quomodo mihi meisque amoenissime eve-  
nerint, libenter vobis narrarem. Sed locus in hoc libello  
non suppetit ad omnia narranda, quae nobis hac aestate in  
Italia evenerint felicia vel pessima. Tamen liceat mihi in-  
dicare in Italia nobis omnia fere tali modo evenisse, quali  
in superiore praefatione iam verisimilia descripserim! Qua-  
lescumque hae feriae nostrae fuerunt: Effecerunt, ut non mo-  
do uxor et ego, sed etiam liberi viribus animi roboreque  
corporis restituti domi labores negotiaque cottidiana melius  
patiamur quam antea. Et condiciones varias tempestatis, quas  
regio nostra caelo saepe nubibus tecto nobis offert, nunc  
facilius perferimus; cum enim pluit, domi post fornacem se-  
dentes intuemur cinematographicam imaginum seriem, quam in  
Italia de feriis nostris sole plenis paravimus.

Iam satis de feriis meis scripsi. Maxime autem interest  
nostra audire a vobis, cari legentes, quomodo vos ferias hac  
aestate egeritis. Velimus vos ea, quae feriis experti sitis,  
nobis litteris Latine scriptis nuntiare. Libenter nuntios  
vestros Rumore Vario posteriore legentibus proponemus. Ne  
ergo cunctemini, scribite ad nos, si habetis, quae legenti-  
bus lectu digna putetis!

Valete!

*U. Aeschlimann*

Udalricus Aeschlimann

## De itinere maritimo nuper facto

Narrationis pars ultima

Neminem mente sanum puto exspectare se Piraeum temporum antiquorum adhuc visurum. Cum autem ingentis magnitudinis aedificia ingentemque negotiorum celebritatem cernit, quae est temporis nostri, obstupescit non mediocriter. Ego quoque primo adspectu spe deiectus sum quicquam vivum videndi Athenarum antiquarum.

Per amplissimas vias, quales Lutetiae Parisiorum cognoveram, automobili grandi vecti sumus usque ad pedes collis vel montis illius celeberrimi, qui Acropolis vocatur. Inde pedibus ascendimus, per Propylaea, quae dicuntur, ambulavimus, quod nomen est introitus ad altam planitiem ducentis, leviter fastigatam, Acropolim antiquam, cuius vocis vis est nostro sermone "Hochstadt", at polis sive urbs hodie iam non potest iure vocari, quippe ubi nihil aliud inveniatur nisi reliquiae templorum plus minus servatorum, monimenta magna caducitatis rerum humanarum. Eximiã quidem vi imaginationis opus est, ut saxa loquantur spectanti vitaeque antiqua mente nascatur; namque nimis loquaces sunt illi duces itinerum, loquacior turba conviatorum quam ut cogitationes ad imaginandam vitam antiquam possimus dirigere. Me quidem non potuisse confiteor. Praeterea non sum tam credulus, ut omnia, quae dux noster exposuit, facile crediderim. Ut fuerit historiarum peritus! At ne historici quidem mihi fide tam sunt digni, ut religiose eos audiam.

Advēnimus ad Parthenon, templum illud, quatenus exstat, Athenae deae stilo Dorico exstructum, inde ad Erechtheion aedificatum stilo Ionio, quod Athenae Neptunoque simul sacrum fuisse dicunt, cuius tectum venuste et eleganter sustinetur ab sex virginibus eximiã arte factis, columnarum vice, quas Graeci nominabat karyatides. Vidimus templum Athenae Victricis stilo Ionio exstructum, quod est dextrã parte Propylaea intransibus, id quoque visu pulcherrimum. Attamen quamvis admiratione sint dignissima, nobis, hominibus hodiernis,

occupationibus nostris immersis, mortua sunt omnia. Accedit, ut nimis mente differamus ab hominibus antiquis quam ut nos insinuare possimus in antiquorum consuetudinem vitae. Tum autem me Acropolim visitante frequentia conviatorum tanta aderat, ut somnare antiquitatem nequirem. Garriebant, ridebant stulte, lepōres promebant (Witze reissen), verba faciebant inepta, quae ad res visas nihil pertinebant, et ipse dux itineris inania promebat, ita ut appareret eum imprimis spectare munuscula (Trinkgelder). Cum autem esset vir pulcher, virili adspectu, mulieres erant in comitatu nostro, puellae, virgines vel domulae, quae attentae eius verba audirent, tamquam nectar sorberent meque invidiosum redderent. Itaque oculos et aures alio (anderswohin) verti et puellam subito conspexi antea non visam, quamquam nostrae societatis esset, summa venustate, grãcili statura, ore nitidissimo, capillis flavis, quae oculos mihi ita perstrinxit, ut vix aliud quicquam cernerem. Itaque concedite mihi, cari legentes, ut de Acropoli narrandi finem faciam, cum quilibet alius, qui narret, me sit dignior.

Multo iam die de Acropoli descendimus et ad portum Piraeum vecti sumus. Mox summum tabulatum navis (Oberdeck), dum Phoebus (Sonne) occidit, conscendimus ibique oculos ad regionem Atheniensem vertimus valere dicentes (Lebewohl sagen) diuque haerebamus in adspectu locorum, ubi cultus atque humanitas hominum Europae occidentalis nata esse dicitur. Natam quidem esse in Graecia pro certo habeo, at hodie ubi est? Evanuit, periit? Qua in regione eam quaeramus? Estne sepulta sub illa arte vivendi, quem vocamus "materialismum"? Ignoro, ingoramus, sed vivimus, et viventes vera sentire puto. Nostri quidem temporis aedificia minime sunt similia templorum Graecorum, at similia si aedificarem, mentiremur turpiter. Nunc autem pergam narrare de itinere, cuius tum finem attigimus: A portu Piraeo cursum tenuimus ad canalem, qui dicitur, Corinthiãcum versus, per quem paulo post vecti sumus. Canalis ille tam angustus est, ut navis magna nostra, lente cauteque vehens, utrãque parte parietes sãxeos paene tetigerit navis altitudinem duplo vel triplo superantes. In summo tabulato cucurrimus huc et illuc, a dextra parte ad sinistram navis et retro, curiosi, utrum navis parietes tangeret necne.

Supra canalem pons altissimus utramque partem canalís iungit ibique in alto, ad plúteum (Geländer) applicati (lehnend) homines complures pessum spectantes et salutantes signa sudariis dabant, quos resalutabamus laeti. Ita saepenumero fit, ut homines plane ignoti, procul visi laeteque salutantes, nos reddant laetos et paene beatos, propterea quod homo est animal sociale societatem anhelans. Et re vera homo laetus laetum quaerit homoque tristis homini tristi est solacio.

Mediā horā post canalem pervecti in sinum Corinthíacum pervēnimus. Nox erat et "caelo fulgebat luna sereno" nosque omnes in cenaculum sive refectorium confluximus magnifice illuminatum, in honorem viatorum scilicet, ad cenam item luxuriosam (sit venia verbo!) nimisque sumptuosam nobis, qui iamdudum opulenter comedērimus. Quam hilares eramus tristesque simul, mēiores ultimam advenisse in illa nave cumque illa societate cenam! Iucundissime sermonicabamur ad ornatam mensam nec minus iucunde serviebamur a pueris nauticis munuscula largissima iure suo exspectantibus. Sub mediam noctem tandem cenati, cibo vinoque impleti ludis variis dedebamur, donec - namque omnis in vita beatitudo ad finem suum tangit - unus et alter, somno oppressus, cubiculum petit.

Posterus dies ultimus nobis domos vehentibus actus est in summo tabulato plerumque. Sub quintam horam postmeridianam Venetiam pervenimus, ubi mare navemque bonam valere iussimus automobili grandi Turicum vecturi.

Cum autem plus horā morae esset, dum automobile ad proficiscendum paratum esset, uxor mea aliquantulum ambulare cupivit per vicos (Gassen) portui vicinos, curiosa, ut est, spectandi merces emendique pro memoria. Cum autem retineri non potuisset, facere non poteram, quin corculum meum comitarer quamvis invitus timensque, ne sero ad automobile reverteremur....Denique ad portam reversi - nam regio portus saepta est - intrare cupientes prohibemur a portitore (Zöllner). Quod obstaculum improvisum! Quod fastidium! Aliquamdiu mihi rixandum erat cum illo testimoniumque monstrandum, quod ius intrandi dedit, ut tandem nos intrare sineret.

Septem horis post ad stationem principalem Turici advēnimus,

ubi automobili descendentes conviatoribus "Valetote" diximus, nihil amplius cupientes quam cubitum ire rectā viā.

Dr. Emanuel Bernard



## De tribus cribris

Ad Socratem philosophum accurrit amicus eius vultum rabie tectus clamans: "Audi, Socrates, necesse est me statim tibi narrare, quomodo ab aliquo amico tuo iudiceris...."

"Absiste moveri, conticescas!" interruptit Socrates. "Iamne ea, quae mihi narrare velis, per tria cribra fundere conatus es?"

"Per tria cribra fundere?" interrogavit alter plane miratus. "Vero per tria cribra, mi amice. Experiamur, utrum ea, quae mihi nuntiaturus sis, per tria cribra fundantur pura necne. Primum est cribrum veritatis. Suntne omnia vera, quae narrare velis?"

"Dubito, nam ea tantum narrata audivi et...."

"Alterum est cribrum benignitatis. Cum ea, quae audivisti, fortasse non vera sint: Suntne saltem benigna?"

"Minime", respondit alter, "immo...."

"Ergo", occupavit Socrates, "denique tertio cribro, quod est necessitatis, utamur quaerentes, quanta sit necessitas harum rerum narrandarum, quibus rabie afficiaris."

"En vero...non est tanta, ut ea...."

"Quid ergo?" exclamavit Socrates ridens. "Cum ea, quae narraturus sis, neque vera neque benigna neque necessaria sint, tum sepulta relinquant, ne mihi vel tibi molestias afferant."

Udalricus Aeschlimann

## Litterae ad legentes

### Correctio mendi typographici

Cuiusvis hominis est errare, nullius nisi insipientis in errore perseverare.

Marcus Tullius Cicero (106-43)  
Philippica XII, 2, 5

In numero 5+6/81 commentariorum periodicorum nostrorum - eheu nosmetipsos miserimos infelicissimosque! - mendum iniucundum foedumque typographicum inrepsit in carmen, cui titulus "Quid, audito, foris sit", pag. 381, linea ultima, ubi vitiose typis descriptum est "mytosis", sed, quod per se intellegitur, recte typis describendum est "myosotis". Verbum hoc etenim significat vulgo Germanice "Mausöhrlein" (Muris auricula), Graece: μῦς, μῦός = mus, οὖς, οτός = auris. A saeculo XVI<sup>o</sup> nomen autem, quod etiam nunc in omnium usu est, exortum est: vulgo Germanice "Vergissmeinnicht" et paene in omnibus linguis flos simili modo nominatur, exempli gratia Italice "Nondiscordardimé", Francogallice "Ne m'oubliez pas", Anglice "Forget-me-not". Nomen vere Latinum pro illo flore in nomenclatura botanica inveniri repeririue non potest, fortasse nomen accipi possit "Noli me oblivisci". Populis antiquis Germanicis flos ille, cui nomen botanicum "Myosotis", signum (symbolum) amoris, amicitiae, memoriae, recordationis fuisse fertur. Apud veteres scriptores et poetas Francogallicos designatio floris sub nomine "fleur de souvenance" ("Souveigne de moi") reperiri potest. Agitur enim de flore, cui nomen accuratum botanicum "Myosotis palustris scorpioides" (Germanice: Sumpf - Vergissmeinnicht). Illo flore medici uti medicamento contra infirmitatem circulationis sanguinis et contra inflammationem tunicae coniunctivae oculorum (Germanice: Augenbindehautentzündung) interdum etiam hodie utuntur.

Amicus

## Facete lepideque dicta

Ioannis Auratus Lemovicensis (vulgo Francogallice: Jean Dorat ou Daurat de Limoges), 1508 - 1588, humanista ille perfectissimus, sodalis illustrissimus "Pleiadis" atque interim praesidens institutionis, vir doctissimus ille Francogall(ic)us, a rege Francogallorum Carolo IX<sup>o</sup>, 1550 - 1574, interrogatus qua de causa virginem non amplius XVII annos natam (uxorem) duxerit, actutum: "Poetica solum, inquit, domine mi, fuit licentia!"

\* \* \* \* \*

Henricus autem Theodorus Fontanus (Henri Théodore Fontane), 1819 - 1898, ille scriptor German(ic)us illustrissimus saeculi XIX<sup>i</sup>, cuius maiores erant natione Francogalli, Berolini in urbe in domo cuiusdam hospitae nomine Gertruda Sculteta (Germanice: Gertrud Schulz) habitans mane - prandio sumpto - dixit haec: "Domina Sculteta honorabilissima, si fortasse id, quod hodie mane bibi, fuit coffea, tum ab crastino die vellem bibere theam, sin autem fuit thea, a crastino die coffeam bibere vellem!"

\* \* \* \* \*

Nicolaus enim Sebastianus Rochus de Campoforti (Nicolas Sébastien Roch de Chamfort), 1741 - 1794, "Solum unum, inquit, novi conubium revera beatum: conubium ducis reipublicae Venetiae cum Mari Hadriatico!"

\* \* \* \* \*

Aemilius autem de Campis de Sancto Amando (Francogallice: Emile Deschamps de Saint-Amand), 1791 - 1871, poeta scriptorque ille Francogallicus, de medicina id arbitratus est: "Medicinam, inquit, artem esse constat, quae interim exercetur (administratur, tractatur, facitatur, colitur) exspectatione summa eam fortasse aliquando posse cognoscere!"



Franciscus autem Rabelasius (vulgo Francogallice: François Rabelais), 1483 - 1553, doctissimus ille Francogal-  
 lus, qui anagrammatice et "Alcofibras Nasier" (anagramma  
 nominis François Rabelais) nominatur, filius Antonii Ra-  
 belasii, morbo mortifero adflictus in lecto cubuit. Me-  
 dici enim, qui aegrotum curare operam dabant, inter se  
 de exitu morbi altercabantur, rixabantur atque disputa-  
 bant. Rabelasius stomachosus eos interpellavit atque:  
 "Viri clarissimi, inquit, sinite memetipsum, quaeso,  
 mea propria morte defungi!"

\* \* \* \* \*

Actori cuiquam theatri oppidani Berolinensis mandator  
 quispiam dixit haec: "Te sub numero 261 11 01 telephonice  
 invocare dominum quendam Piscis qui nominatur, iubeo, qui  
 Tecum loqui in mente habet!" Actor autem quam celerrime  
 numerum telephonicum eligit atque dominum Piscem petit.  
 Tum vox quaedam in telephono: "Sic, quemnam dominum  
 Piscem loqui cupis? Hic est aquarium oppidanum!"

\* \* \* \* \*

Herimannus autem Ferdinandus Freiligrath(us), 1810 -  
 1876, poeta ille German(ic)us praeclarus saeculi XIX<sup>i</sup>,  
 de sponsaliis (sponsalibus) tantisper factis amicos  
 certiores fecit verbis his: "Chartula illa addita revera  
 novissimum est, quod usque ad hunc diem omnino scripsi,  
 et - ut egomet opinor! - optimum!"

\* \* \* \* \*

Radix quaedam. "Scio enim radicem. Si illam in manu teneas,  
 omnes dolores dentium nulla mora interposita desinunt." -  
 "Id ridiculam superstitionem esse reor!" - "Attamen! Aegro-  
 tam radicem dentis!"

Ioannis de Brucaria (Francogallice: Jean de la Bruyère),  
 1645 - 1696, editor ille illustrissimus Francogallicus  
 operis "Characteres Theophrasti, e Graeco translati, cum  
 characteribus et moribus huius saeculi" (Francogallice:  
 Les Caractères de Théophraste, traduits du Grec, avec  
 les caractères et les mœurs de ce siècle) "Potius, in-  
 quit, virum exacta aetate interrogare vellem, quando  
 cogitaret mori quam mulierem consenescentem, quando  
 nata sit!"

Amicus



# Aenigma

1. nubilo (contrarium)
2. evado
3. velocissima
4. epotabit
5. parvum flumen circa Romam  
(Dat.Sing.)
6. declamator

1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					

Hoc aenigma composuit Sabine Szidat



## S O L V T I O N E S

1	C	E	R	E	R	I
2	E	D	E	R	E	R
3	R	E	G	U	L	A
4	E	R	U	D	I	T
5	R	E	L	I	G	O
6	I	R	A	T	O	S

Solutiones aenigmatis in  
RVMORE VARIO 5+6/82 pro-  
positi:

Illud aenigma maxime difficile solvendum fuisse videtur,  
nam unam solum chartam solutiones monstrantem accepimus!  
Quas solutiones recte inventas nobis misit

Max Müller-De Vries, Zürcherstrasse 10, 4143 Dornach

Cui soli victori ex aenigmate primum praemium mittemus,  
quod e bono (Gutschein), quo liber ematur, constat. Victori  
gratulamur!



### *Litterae ad legentes*

Gaspardus Koch rumores facientibus s.d.!

Rumores varii delectique per annum novissimum ad aures (vel  
saltem oculos) legentium pervenerunt, sed dolore me affecit,  
quod sonos dulces requiri haud contigit. Nil igitur, quin  
"certamen cantorum" incipiatur, obstat, dum Rumor Varius  
quasi arx quaedam adhiberi possit.

Hac nostra "de duro ferro" aetate nulli rei nisi isti crepi-  
tui (scilicet musicae populari) incumbunt ac honores tribuunt.  
Unicum summae virtutis exemplum ostenturus egomet catervam  
ex quinque artificibus constantem apud vos introducam, qui  
inter tot furciferos (e.g. Status quo, Saxa volventia) ea ra-  
tione excellent qua altae cupressi arbuta despicientes! Nomen  
famosorum "Scurriles", non ab iis ipsis inventum esse dici-  
tur: tum eis datum, cum pro vestibus pullis ac dignis togis  
caeruleis torquibusque rufis affecti auditorio se praesentas-  
sent. Aliquid de musica: temporis conscii citharis electri-  
cis tympanisque utuntur canentes, at, cum exemplis praecla-  
rorum obstricti sint - operibus maturioribus "Rivi" pronepo-  
tes exaudire crederes - instrumentis sonos modulatos evocant.  
Deinde eis audiendis sentiat quisque, quod inter hos colla-  
trones alius alio sincero modo gaudet; quare musica per tot  
annos (anno MCMLXII p.Chr.n. coepisse feruntur) tam recens  
tam vivens mansit! Id autem est, quo maxime differunt: Scur-  
riles his raris avibus intersunt, qui sonitu intestinas ima-  
gines fingant, qui affectiones animi pervictas reddere sciunt.  
Huic ingenio copia cogitationum repentinorum ac linguae con-  
verterendae facultas se coniungunt; carmina interdum elegiaca,  
interdum proterva, quin etiam irata, (sed numquam odio abun-  
dantia) requiri possunt. Inter quae pleraque Raimundus Da-  
vies conscripsit, quem merito heredem Horatii clari denotare  
liceret! Scurriles non inculta ac hebeti ratione tumultuan-  
tur, sed expolita ac perpensa lingua nituntur.

Quam modicam descriptionem confeci, ut Scurriles accuratius  
cognoscendi cupiditas vos invadat. Ne eos detraham amplius  
garriens: censeo Scurriles audiendos esse! Ut eis auditis  
mecum praedicet quisque: Vivant, crescant, floreant!! Nunc  
exemplum perfectissimum exquisitissimumque producere velim:  
MM annis ante si scriptum esset, hoc carmen maxime populare  
evasisset!

Saxa Volventia	Rolling Stones
Scurriles	The Kinks
Rivus	J.S. Bach

Gaspardus Koch

POMERIDIE APRICO

Raimundus Davies ac Scurriles composuere aestate MCMLXVI

Me orbavit censor omni bono,  
reliquit me in splendida domo  
pigrum in pom(e)ridiano aprico  
nequit Liburna uti  
quae mei sunt, diripuit  
praeter pom(e)ridianum apricum.

Serves, serves, serva me ex hoc pressu!  
Me crassa ac pinguis vult rumpere socrus.  
Vita et placet tam dulcis mihi,  
vita illa in luxuriis  
pigro in pom(e)ridiano aprico.  
tempore aestivo, tempore aestivo

Erupit pupa quadrigis  
et refugit ad parentis  
fabulans me esse ebrium ac crudelem...  
Nunc hic sedeam  
libans cervisiam algidam  
pig(e)r in pom(e)ridiano aprico

Fac ut, fac ut, fac ut hinc evolem  
duas aut rationes praebe, cur restem  
Vita et placet tam dulcis mihi  
Vita illa in luxuriis  
pigro in pom(e)ridiano aprico  
tempore aestivo, tempore aestivo  
Ah! serves, etc.  
:tempore aestivo, tempore aestivo:

transtulit Gaspardus Koch

SUNNY AFTERNOON

Written by Ray Davies and The Kinks in summer 1966

The taxman'a taken all my doll  
and ('s) left me in my stately home  
lazin'on a sunny afternoon,  
and I can't sail my yacht,  
he's taken ev(e)rythin' I got,  
all I got is sunny afternoon.

Save me, save me, save me from this squeeze!  
I got a big fat mama tryin'to break me  
and I love to live so pleasantly,  
live this life of luxury  
lazin'on a sunny afternoon  
in the summertime, in the summertime

The girl-friend's run of with my car  
and's gone back to her ma and pa  
tellin'tales of drunkenness and cruelty  
now I'm sitting here  
sipin'at my ice-cold beer  
lazin'on an sunny afternoon

Help me, help me, help me from this squeeze  
or give me two good reasons, why I oughta stay  
and I love to live so pleasantly  
live this life of luxury  
lazin'on a sunny afternoon

in the summertime, in the summertime  
Ah! save me etc.  
:in the summertime, in the summertime:



TRAGOEDIA  
BENITI MUSSOLINI

Scripsit : Plinius Prioreschi  
In Latinum converterunt : Ernestus Brehm  
Thomas Coffey  
Plinius Prioreschi  
Copyright by P. Prioreschi 1978

ACTUS I

Scaena III. Eadem dispositio scaenae secundae, sed nunc interdiu. Mussolini in scriptorio sedet cum Ciano ministro rerum externarum et genero suo conloquens.

Mussolini: Nostri in Africa progrediuntur, Francogallia cecidit, Germani invasionem Britanniae parant. Bellum alterum annum fortasse non complebit. Oportet nos futuro paraturos esse. Cum Germanis relationes nostrae lubricae erunt. Volent fortasse primas partes agere, immo nos ferre secundas nolumus. Potentiam nostram augebimus, ne eos metuamus. Post bellum officium perarduum erit....

Ciano : Hitler amicus tuus est atque occupatus erit Britannicum imperium digerendo. Tempus nobis manebit.

Mussolini: Ita. (Pausa). Nunc nostri satis bene pugnant, sed segnes prae Germanis, causa non solum in imparibus armis nostris invenienda.

Ciano : Germani fortunati erant... nemo credidisset magnam Francogalliam paucis hebdomadibus conlapsuram.

Mussolini: Noli fatuus esse Galeati. Francogalliam devicerunt quia fortissimi sunt. Ne comparanda quidem nostra ad eorum potentiam est, atque, ut dicebam, non solum armis, sed etiam disciplina inferiores sumus...

praefecti nostri tam periti non sunt .... (Pausa)  
post bellum arduum opus nobis erit .... post magnam Italiam magnos Italos condemus.

Ciano : Ommis Italus paratus pro te et Patria mori.....

Mussolini: Superbi victores, serviles victi. Quid Virgilius dixit?.....nunc obliviscor....quoddam ut...."debellare superbos"....

Ciano : "Parcere subiectis et debellare superbos."

Mussolini: Ita. "Parcere subiectis et debellare superbos". Longum erit antequam dignitatem maiorum receperimus.

Ciano : Non est difficultas quam victoria non solvat.

Mussolini: (Post brevem pausam) Heri Germani undecim naves demerserunt. Eorum submarini formidabiles sunt. Quotidie spero nostros aliquid simile facere, sed nos propensiores esse ad naves amittendas quam demergendas videmur.

Ciano : Animus classium nauticae et aviatoriae acerrimus est. Veniet occasio. Germanis itinera commeatus Britanniae trans Atlanticum ducentes facilem venationem offerunt. Magnopere credo virtuti ac fidelitati, et nostri vincere firmo gradu pergunt. Germani fortasse interdum conspicua gesta perficere possunt, vere autem consilia originalia non habent atque intellegere involutas questiones non possunt. Etiam Hitler concedit te magistrum suum....mihi persuasissimum Italorum arma superiora esse. Dies veniet.....

Mussolini: Cito, spero....

Ciano : Dies veniet cum nostrorum victoriae fulgidiores quam Germanorum erunt. Dies veniet....

Mussolini: Galeatius propheta male aptus est. Nunc constitutum habeo. Cras te videbo.

(More Romano salutans exit. Mussolini incipit aliquas chartas super scriptorio legere. Paulo post custos intrat.)

Custos : Dux, Miss Owens adest.

Mussolini: Intret.

(Mulier iuvenis et formosa intrat, Mussolini con-  
surgit et ad eam ambulat manum extendens.)

Mussolini: Miss Owen, incede, gaudeo te noscere.

Miss Owen: Dux...Excellentia...ego...quomodo vales?

Mussolini: (Surridens) Quaeso, conside. (Considit in alia  
sella, ambo sedentes ad se et audientes spectant.  
Brevis pausa. Mussolini eam evidenter perturbatam  
contemplatur). Audio te cum plurimis diurnalibus  
Americanis operari.

Miss Owen: Ita est.....

Mussolini: .....atque te librum de Fascismo scribere.

Miss Owen: .....vere....est liber de te.....

Mussolini: (Surridens) Bene, semper mihi placet homines sol-  
licitos esse operis mei. Nonne ex Novo-Eboraco  
venis?

Miss Owen: Ita est. Nata sum et semper in Novo Eboraco vixi.

Mussolini: Valde mihi placeret aliquando Novum-Eboracum re  
vera Status Unitos visitare. Sunt ibi plus Italo-  
rum quam in ulla terra orbis Italia excepta.

Miss Owen: (Quae nunc imperium sui recuperavit) Vere ei val-  
de adiuverunt progressum atque incrementum Patriae  
nostrae.

Mussolini: Dic mihi de tuo libro.

Miss Owen: Vere....de tuis consiliis et vita tractat....una  
inter tui admiratores sum....de tua perceptione

rerum politicarum....re vera ut in petitione con-  
loqui memoravi....vellem te rogare....de vita  
tua, de iudiciis tuis rerum praesentium, de tua ra-  
tione politica....et cetera....

Mussolini: Recte. Monere tamen venustatem mulierum me pelle-  
re....atque si aliqua me rogat aliquando confun-  
dor....(surridet).

Miss Owen: (Surridens et manifeste delectata) Oh, Excellen-  
tia....certe....non puto....

Mussolini: (Surridens) Perge, perge!

Miss Owen: Profecto scis in Patria mea te hostem existimari  
atque Status Uniti, Italiae et Germaniae possibili-  
ter bellum indicturi esse feruntur.

Mussolini: Novi.

Miss Owen: Visne de possibili bello inter Axem et Status Uni-  
tos commentari?

Mussolini: In Patria tua etiam fortis opinio contra bellum  
exstat. Puto bellum confectum iri antequam Status  
Uniti ad arma convocare atque pugnare possent. Du-  
bitari non potest animum Statuum Unitorum adhuc  
contra Axem fuisse et elementum negativum nostrae  
strategiae esse. Positivus tamen animus Japoniae  
atque imminens victoria Axis in Europa ad meden-  
dum illi elemento negativo pertinent.

Miss Owen: (Post pausam, notas conficiens) Germania et Ita-  
lia saepe aggressores appellantur. Visne commen-  
tari?

Mussolini: Italia et Germania immo aggressores sunt. Demum  
constituimus bellum inferre quibus nobis nostram  
iustam portionem divitiarum mundi eripuerunt.

Miss Owen: Hoc fortasse de Britannia et Francogallia dici po-  
test sed non de Polonia iustum videtur.

Mussolini: Primum Polonia debellanda erat, sed hoc manifeste  
ultima meta certaminis non est.

Miss Owen: Quae est meta?

Mussolini: Mundi novus ordo qui necessitatibus alacrium pauperum nationum ut Italiae, Germaniae et Japoniae provideat.

Miss Owen: (Post pausam, adnotationibus confectis) Haec est publica explanatio. Quae vere significat vos opes Francogalliae et Britanniae accipere velle atque in paupertatem illas redigere.

Mussolini: (Post pausam) Miss Owen, quo diutius tibi ausculto et te aspicio, eo magis mihi places.

Miss Owen: (Conturbata) Gratias tibi ago, Excellentia....

Mussolini: Portionem officialem conloquii cras persequemur. Nunc ego aliqua rogare volo. Esne nupta?

Miss Owen: Digressa.

Mussolini: Ingeniosa et formosa es. Similes tibi mulieres amo. Esne sola Romae?

Miss Owen: Sola?

Mussolini: Solitaria dico.

Miss Owen: Non....tempus mihi non est....sed interdum....longe domo....

Mussolini: Ubi commoraris?

Miss Owen: In diversorio "Savoy"

Mussolini: Hac nocte tecum congregari vellem.

Miss Owen: Hac nocte?

Mussolini: Ita.

Miss Owen: Quando?

Mussolini: Faciam ut scias.

Miss Owen: Ego....Ego....nescio si....

Mussolini: Decima fere hora nuntium meum recipies. Erisne illic?

Miss Owen: (Post pausam) Ero.

Mussolini: (Exurgens) Cupio tecum congregari. Formosa es. (Ad portam eunt).

Miss Owen: Gratias tibi ago, Excellentia.  
(Mussolini portam aperit)

Mussolini: Vale! Usque ad noctem. (Exit Miss Owen). (Mussolini scriptorio considit. Paulo post Arlequinus emergit ex post supellectile.)

Arlequinus: Novam victoriam, nonne?

Mussolini: Quid Vis?

Arlequinus: Io! Undique vincis! Hostes in Francogallia et Africa, foeminas Romae! Nihil ac nemo tibi resistere possunt! Novus Caesar es! Spero tamen ut intelligas omnia meo auxilio fieri. Victoriae bellicae viribus copiarum tuarum non debentur atque foeminae non tecum sed cum fama tua iacent. Tamen nihil timendum! Quis inter speciem atque realitatem lacunas implet? Inter quomodo sumus et conspici volumus? Ego profecto! Mox bellum finietur et omnes putabunt tuas copias triumphantes magnopere ad victoriam contulisse. (Clamitans) Populus bellatorum sumus! Virtus maiorum resurrexit! Vincemus! Victoria serva Romae! (Usitata voce) Nemo incertitiam imperii, impares machinas, confusionem, imperitiam, debilitatem animadvertet....nec illae feminae quas seducis venas varicosas tuas, difficultatem spirandi, ventrem flaccidum, lacertos marcidos tuos notabunt....noli timere, tibi adsum. Mihi confidere potes. Vidistine quantum facile cum Miss Owen fuerit? Sic homines sunt. Esto assertivus, esto decretorius, loquere tamquam omnes vires mundi te alerent et homines tibi crederent. Omnes parati bracas demittere si satis vehementer eis imperatum. Quis de realitate curat? Vivat illusio, vera materia mundi!

Mussolini: Abi!

Arlequinus: Haec est sors mea! Sine praemio servire!  
(Post aliquam suppelectilem evanescit, Mussolini ad scriptorium operari incipit.)

SIPARIUM

## Facete lepideque dicta

Galenus, unus illustrissimorum medicorum omnium temporum, de medicina id arbitratus est: "Medicus optimus natura ipsa est, nam non solum sanat facile tres partes omnium morborum, sed etiam numquam de collegis maledice dicit!"

\* \* \* \* \*

Ex contrario.

In circulo mulier quaedam professori doctori Ernesto Bumm, 1858-1925, medico illi morborum feminarum peritissimo, dixit haec: "Tute igitur professor illustrissimus Ernestus Bumm? Te autem omnino alia specie esse putavi!"

Tum Ernestus Bumm "Quidnam, inquit, fortasse obesa, parva, taetra specie?"

"Ex contrario, mulier inquit, procera, alta, lepida specie!"

Amicus



SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
DONO DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mit-  
tenda est ad adressam infra  
stantem.  
(ich abonniere RVMOR VARIVS  
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift:

für

RVMOR VARIVS  
Postfach 883

CH-8050 Zürich

RVMOR VARIVS  
Postfach 883

CH-8050 Zürich



AZ

8050 Zürich

7+8/82

KALENDIS AVGVSTIS

MCMLXXXII



RVMOR VARIVS



TOMUS 5

FASC. 36